

[veri Patris ad instar] dum officio suo omnino satisfacit, subditorum corda [indissolubili ratione] sibi devinciet. Et de hoc alibi¹.

III) Christifideles inter [modo ac ratione servata] Pastor saepe versetur, quo eos dignoscere facilius possit, ac melius adiuvari valeat.

IV) Christifidelibus praesto ipse sit, benevolo recipiat modo, attente audiat, in quantum fieri potest eorum precibus adnuat, [immo, interdum, eos praeveniatur], ac si emendatione egent, dum est lingua correctionis, sit et consolationis.

31. — Omnibus hisce in adiunctis [inferius enucleandis] adeo semperque insistere oportet Pastor ut quem *non solet, quem non sublevet nemo habeatur*², Sapientia suadente: *non desis plorantibus in consolatione*³. Quo et Dominum Praepositus imitabitur qui *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*⁴ dicitur; quod et Iob servasse traditur qui, *cum sederet quasi circumstante exercitu, erat tamen moerentium consolator*⁵. Quantum ex hac agendi ratione [dum christifideles ab ubere Pastoris consolationis caritate replebuntur], eius in paterno pectore suorum animorum secreta, poenas aerumnasque ipsi versare incitentur [quo ipsorum animae, peculiaribus necessitatibus promptius aptiusque Pastor consulit], nemo dixerit! Quantum paternae Parochi adhortationes, commiserationes consolationesque ex corde puro ac charitate non ficta manantes, ad animarum tergendas lachrymas, ad dira sustinenda, ad maiora incitanda, et ad eos quoquomodo materne sublevandos valeant enarrabit nemo! Huic, igitur, sui muneris praecipuae parti sedulo, patienter, amantissime Pastor consulat, et ad hoc cum afflictum subditum a moerore suspendere intendit, prius moerendo, eius afflictioni concordare studeat. *Dolentem, namque, non potest consolari qui non concordat eius dolori: quia eo ipso quo a moerentibus afflictione discrepat, minus ab illo recipitur a quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus ut afflictio congruat, congruens inhaereat, inhaerens trahat. Neque, enim, ferrum ferro coniungitur, si non utrumque exustione ignis liquatur*⁶. — Attamen heic quoque ne quid nimis, ac Pastor moerentem filium solare cupiens, ne non solum dolentem non mulceat, sed [intemperanter dolens] afflicti animum ad desperationis pondus adducat, dolori quod suscipit mensuram ponat necesse est. Sic, enim, Pastoris dolor moerentium iungendus est, ut per temperamentum sublevet, non autem

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Aegri Infirmi*.

² Pius PP. X, *Encycl. E Supremo*, 4 oct. 1903.

³ *Eccles.* VII, 38.

⁴ II Corinth. I. 3.

⁵ XXIX, 25.

⁶ S. Gregor. Magn., *Moral.* lib. III, cap. 12.

per augmentum gravet. — Amantissimi, igitur, Patris, suavissimae immo Matris ad instar, subditorum tuorum *diem moeroris et luctus verte in gaudium*¹, quo, *dum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux et tenebrae tuae erunt sicut meridies, et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam...*, et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum cuius non deficiet aquae². *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*³ ecclesiasticis praesertim Pastoribus ait Dominus. Verba, igitur, Patris habe, ubera matris habe!

Articulus V.

DE BONI PASTORIS FORTITUDINE.

SUMMAE RERUM. — 32. De huius virtutis in Pastore necessitate. — 33. De fortitudine cum caritate unienda. — 34. Quae in re generalis praestitui norma possit. — 35. Fortitudinis in regimine actus qui sint. — 36. Peculiare huius virtutis obiectum recolitur ac illustratur. — 37. In publicis Ecclesiae persecutionibus quomodo se habere Pastor debeat.

32. — Fortitudinis in ecclesiastico Pastore necessitas ex his omnibus quae hucusque recolimus, ac de prudentia et iustitia mox recolemus aperte evincitur; adeo, enim, virtutes caeterae a fortitudine custodiuntur tuenturque ut eam habens, rectas per semitas incedere possit; qui ea caret, fere necessario, ad peccatorum itinera declinare cogitur. Quod si in omnium vita [in qua, ut huius terrestri exsiliu vicissitudines aerumnasque apte perferamus, fortitudo cunctis necessaria est] in pastoralis condicione praesertim, in qua non tantum pro se, sed et pro christifidelibus et ipsos contra decertare Pastores tenentur; ad quod observantiam colentes, fortes ad pericula, rigidiores adversus voluptates, ac duri contra illecebras se habere oportet. Quum vero Servatoris Nostri Sanctorumque omnium indesinenter calcare vestigia boni Pastoris sit [qui eorum in sanctis exemplis cernit quod cavet, et conspiciat quod agat] hac quoque in re eos imitare oportet. At tum Servator Noster, tum Apostoli [ut monuimus mox] hanc coluisse virtutem Sacrae testantur Litterae. Nec Moyses, Elias, Daniel, Nathan ac Stephanus secus egere, qui Dei spiritu repleti [qui fortitudinis spiritus est] non humilibus tantum, sed et Potentibus [uti Pharaoni, Acabbo, Nabucco, Davidi, ac

¹ II Corinth. V, 18.

² Isai. LVIII, 10, 11, 18.

³ Matth. XXV, 40.

hypocritis populi sancti Dei Senioribus] tum leges ac praecepta Dei, tum eorum peccata sceleraque recolere haud timuere.

33. — Attamen nec adeo fortitudo urgenda ut charitatis sacrosancta iura in discrimine adduci possint, nec adeo auctoritatis iura tuenda ut in autocratia immutetur; utraque, enim, virtus a caritate emanare debent, et prudentia mediante [qua omnium iura salva fiunt] ad praxim deducenda est. Secus, enim, quos Pastoris fortitudo sanare contendit, eos magis vulnerabit, ac quos flectere satagit, irreparabiliter franget; quod [ut fusius alibi explicabimus] uti Ecclesiae menti omnino contrarium, a pastoralis praesertim regimine sedulo arcendum. *Neque, enim, debet semper qui praesidet humilitate, nec in omnibus uti auctoritate, sed alternatim nunc unam, nunc aliam exhibeat, prout unusquisque expedire censuerit*¹. Ecclesiastici, igitur, Pastores adeo fortitudinem colant ut tum subditorum, tum locorum temporumque adiunctis, congrua ratione [caritative nimirum] inserviant; quo, dum quae conscientiae ac muneris sui sunt partes iuste adimplebunt, christifidelium quoque animos, christianae observantiae sibi, indissolubili fere vinculo, devincient. Nil, enim, ad utrumque punctum ferendum utilius quam caritativa ratione erga subiectos uti! *Qui vehementer emungit elicit sanguinem*², hominibus odiosum, Deo vero execrabile!

34. — Si quis vero quaerat a nobis quae in re generalis norma Pastori praestitui possit, pervetustae illius semperque prudentissimae normae, nimirum: fortiter in re, suaviter in modo christianam observantiam suademus; quo quae tum fortitudinis, tum caritatis sunt iura, aequilibrata lance, tuentur. Res idem ac substantia, modus vero idem ac formam et adiuncta sonat; et ut Pastor in prima fortis se habeat, in alteris vero caritative, numquam satis suadebitur. — Quamvis vero haec omnia dictu facilia, in praxi vero adeo perdifficilia ut in huius praecepti observantia, omnem fere regiminis prudentiam contineri, cuncti qui aliqua in re experientia polleant facile concedent. Attamen Pastor bonus qui non destruere Domini domum fidelem, sed sanctuarium ei aedificare intendit, ut [primam ab altera opportuno distinguendo modo] nec substantiam pro forma, nec formam pro substantia sumat, omni contendat nisu; ex quibus sane quid in regimine perniciosius haud facile dixeris. Quum vero, nunc temporis praesertim, ut substantia validius vulneretur, eam in formam immutare, vel hanc posthabere multi consuescant, ut utrimque gravissima quae habentur pericula Pastor prudens caveat quam maxime advigilet.

¹ S. Laurent. Iustin. *Op. cit.* Cap. 14. ² *Prov.* XXX, 33.

35. — Fortitudinis in ecclesiastico regimine actus, sustinere molestia et aggredi fortia habentur, iuxta illud Psalmistae quo divertere a malo ac facere bonum iubemur¹. Rem autem attentius consideranti, regiminis fortitudo in primo, ac praesertim, contineri facile apparet, quod frequentius, maioris negotii, nunc temporis esse consuevit. Quidquid sit, tum in sustinendo molesta, tum in aggrediendo fortia, magnanimitas, patientia, perseverantia, ac constantia exercentur, in quibus omnibus virtutibus, integrales fortitudinis partes, ut docet Angelicus, continentur. Quum vero de patientia mox diximus, et de caeteris [opportuna nacta occasione] in tractationis nostrae cursu commodius dicemus, concinnitati haec studentes, eas innuisse erit satis, ac ad fortitudinis obiectum, ad rem nostram, permagni momenti argumentum, statim accedimus.

36. — Fortitudinis in pastoralis regimine obiectum tripliciter dispesci potest, nimirum prouti Pastorem ipsum, coeteros, ac adiuncta rerum attingit. Idcirco:

a) Se ipsum erga fortiter se habeat Pastor bonus, quum [uti mox diximus] incassum coeteros regat ac numquam bene regat, qui se ipsum per inobservantiae abruptis ruere sinat. At dum subditos erga fortes nos habere facile, nosmetipsos versus difficilior: saepe, enim, dum coeteros percutiendo premimus, nosmetipsos palpando illudimus: privatus, enim, amor oculum mentis vehementer claudit! Rebus sic stantibus, nosmetipsos erga fortius nos habere decet, quod et ex his quae quotidie in regimine habentur clare evincitur. Illud, enim, attente consideranti, quamplurimae quae inibi habentur difficultates, potiusquam a subditis, a nobismetipsis exoriri, nullo negotio, comperiet. — Attamen, dum nostras contra passiones fortiter dimicamus, ne adeo eas deprimamus ut quasi in desperationem adducamur satagendum est, in illo sistendo medio in quo virtus consistere consuevit; secus, enim, dum melius quaerimus, bonum amittimus ac dum virtutem persequimur, in vitium incidimus. Passiones, igitur, nostras utique domemus, at defectus imbecillitatesque nostras fortiter perferamus, et quamvis e laboribus nostris tenuem humilemque fructum capesserimus, attamen [Divina opitulante Gratia] ad maiora assequenda nos continuo incitare haud desinamus². Macte, igitur, animo, o Pastor, cor mentemque ad Deum attolle, qui non ex laboris nostri proventu, sed ex nostra intentione meritum dimittitur, ac adeo fortiter in agro Domini adlabora ut in aeterna saltem beatitudine operum tuorum fortitudinisque, exultationis manipulos col-

¹ Cfr. Psalm. XXXIII, 15.

² Cfr. *De Imitat. Christi*, Lib. III, cap. 57.

ligere possis valeasque. Secus, enim, animi demissione nimia, impatientiae imbecillitatisque tuae fructus assequeris, et si hominibus ingratus, Deo vero ingrator eris.

b) Fideles vero quam maxima a Pastore fortitudine egent ut eorum ingratitude ipse patienti perferat animo, et per christianae observantiae salubres semitas, constanter proficueque deducere eos valeat. Enimvero:

I) Christifidelium ingratitude *dura gravisque res est*¹, paterno praesertim Pastoris cordi qui, benefaciendo omnibus omnesque per christianas virtutis semitas constanter ducendo, ut aliquid grati animi sensus experiat quam maxime decet. At *inter plura maximaque vitia nullus est frequentius quam ingrati animi*²; quod numquam satis lugendum. Attamen, o Praelate, non te *impediat a benefaciendo homo ingratus*³, et quum quam animabus navas operam, pro Deo illis impendas, constanter operare, reddere bonum pro malo ne renuas, quo centuplum laboris tui in aeternum colligebis. Servator, enim, Noster Scribarum Phariseorumque insultibus miraculis, proditori Iudae osculo, Petro neganti praedilectione vices rependit, ac peccatoribus omnibus sanctam suam continuo elargitur gratiam! Nec secus de Moyse legimus qui, quamvis post tot tantosque exantlatos pro Populo Dei labores fortiter sustinisset, attamen quum ab eo pessime haberetur, non modo nullam sibi quaesivit ultionem, sed [amore paterno] ingratitude compensando, ad Deum ex corde clamabat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non feceris dele me de libro tuo quod scripsisti*⁴. Adeo, enim, peringratos filios dilexit ille, ut pro illorum salutem et in reproborum numero adscribi nullo modo timuisset.

II) Christiana quoque observantia magnam fortitudinem exigit, cui si Pastor quoquomodo deficiat, et suae praecipuae muneris parti defecisse pro certo sciat. At bonus Parochus suos erga fideles amore paterno flagrans [adiumentis argumentisque alibi indigitatis] prudenter utique, at et fortiter observantiam adeo urgeat semper ut carae sanctaeque eius Familiae [ab Ecclesia illi concredita] quoad fieri potest, ad saluberrima pascua ducat. Humanam, itaque, imbecillitatem adversus Pastor descendere ne renuat, et fortiter vigilando ac providendo, agi et pati fortia pro christiana observantia ne expavescat; sed se ipsum in Dominico proelio uti murum pro domo Israel contumacibus adeo opponat,

¹ S. Gregorius Taumath. *In Orat. panegir.*

² Seneca, *De Benefic.* Lib. cap. 1.

³ Syxtus Phil. sententia 319.

⁴ *Exod.* XXXII, 31.

ne ab ipsis vastata, vel saltem polluta, in peccatorum speluncam delectam paroeciam immutetur.

c) Et rerum adiuncta quam maximum a Pastore fortitudinis exercitium requirunt. Haec, enim, vel volitive vel permissive, quamvis a Deo dependeant, attamen et ab hominum quoque voluntate [uti a causis secundis] proficisci consuescunt qui, interdum, sive apocryphae asceticae specie, sive ignorantia, vel malitia fere obcaecati, quam regimen praepedire impedimenta Pastori afferre, nil antiquius cordi habent; quo, sensim sine sensu, per Calvariae itinera Praepositum deducere satagunt! At hisce quoque in adiunctis animum fortem virileque pectus omnibus Pastor demonstret, ac adeo tum supernis, tum humanis auxiliis ipse utatur, et patienter habiliterque cum inimicis ipse pugnet, ut ex ipsorum manibus liberatus, in sanctitate ac iustitia, in gaudio ac exultatione Deo serviat ac christifideles Illi servire faciat. Per crucem ad lucem!

37. — Haec omnia hucusque recensita principia in diris, praesertim, persecutionibus ab inimicis Crucis Christi Ecclesiae Sanctae [frequenter nimis] infertis prae oculis habenda sunt, quo animarum Curator Sancti Pastores omnes imitentur qui *tenentes gladios et ad bella doctissimi, castra verterunt alterorum*¹. Ensibus potiusquam verbis, barbarus quidam at potens Rex Ambrosium minatus est: *Trade Basilicam, trade altaria Dei*: cui Episcopus vere sanctus: *Tradere Basilicam non possum; habeo arma, sed in Christi nomine: habeo offerendi mei corporis potestatem*². Quibus apostolicis verbis, Potentes iam praepotentes, adeo postea ipse domuit ut, qui gentiles venerant, facti sunt christiani, et quos hostes habuerat, defensores obtinuit. Hanc, igitur, fortitudinem sanctam et Pastores omnes imitentur, quum adamantinis animis eorum egeat regimen, qui Potentes non palpando, sed [si opus est] terrendo, nulla lucra ad iniustitiam pertrahant, nullis vel amicitiiis, vel minis a rectitudine deflectant; adamantinos animos ipsum requirit quo in sua labili fortitudine diffidentes, et in firma aeternaque Dei fortitudine confidentes, in sustinendo strenui, in agendo et patiando fortes habeantur. Hac, enim, tantum ratione Tabernacula Sancta Dei custodiuntur, eiusque Sanctae Familiae a scandalorum illecebris ac a malorum hominum [qui ubique inveniuntur] insidiis validissime tuentur.

¹ Hebr. XI, 34.

² S. Ambros. *Epistolar.* Lib. II, Epist. 14, *Ad Marcellinam Sororem.*

§ III. De Boni Pastoris fortitudinis condicionibus.

SUMMAE RERUM. — 38. Fortitudinis in Pastore fundamentalis condicio quae sit. —

39. In re devitanda scopula panduntur, et primum: a) de malo exemplo; b) de ambitione; c) de nimia calliditate; d) de nepotismo; e) de indigentia; f) de pecuniae foeneratione; g) de donorum acceptatione; h) de negotiatione, et ad rem canonicas normas; i) de factionum politicarum studio ubi et canones. —

40. Conclusio.

38. — Ut fidelis et prudens Pastor fortitudinem exercere queat, sancta ac perfecta libertate frui eum oportet, quam nemo nisi sanctus assequitur: iniquorum enim libertas, vel licentia, vel praepotentia, vel [frequentius] fatuitas censi debet. Nam, *omnia in se habet, omnia adsunt bona, quem penes est virtus*¹, et *in virtute tantum est vera felicitas*². Et profecto virtuosus quisque, *dum in solo aeternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur: dum nil habet in mundo quod appetat, nil est quod de mundo pertimescat*³. Secus, enim, suis aliorumque cupiditatibus Pastor serviet earumque vinculis implicabitur, quae [aurea licet et subtilia] exercendae tamen fortitudinis obnoxia maxime sunt.

39. — Quae rectam fortitudinem interturbant proprius consideranti ex utilitate semper, sive morali sive materiali, oborta videmus, quae Pastoris os claudit, ne [ut munus iubet] loquatur. Quamobrem, ut per partes rem exponamus, recolimus:

a) Qui exemplo coeteris non est, liber non est. — Pastoris, enim, intemerata vita fortitudinem libero animo exercendam permittit, eum ille nimirum observantiae specimen primus praebet: ecquis enim, quae ipse neglexerit, petere a subditis poterit? *Principis*, enim, *fidelissima custodia ipsius innocentia*⁴. Equidem, si Pastor errat aut erravit, saepe ultionem subditi timeat oportet, qui cum incusabuntur, invicem incusabunt, atque Pastoris personam imminuere eiusque opera evertere nituntur. Quae cum ita sint, redarguendi vel puniendi eos qui iure hoc meruerint, quaenam Praeposito libertas erit? Et ex hac, igitur, parte quantum bono pastorali intersit regimini ut Pastor neque *in transactis non habeat de quo erubescat*⁵ aperto evincitur. Hos, enim, qui quoquomodo publice ceciderint, potiusquam regiminis gloria, poenitentiae humilitas decet: quod utinam omnes intelligerent!

¹ Plaut, *in Comoed.*

² Plato, *Politicor.* IV.

³ S. Gregor. Magn. *Moral.* lib. X, cap. 21.

⁴ Plinius, *in Panegyrr. Trajani.*

⁵ Gregor. Magnus, *Regula Pastoralis,*

Par. II. Cap. 2.

b) Qui, cum ambitiosus sit, per ambitum electus est, servus est: *si quorundam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, obedire, reverentia exigente, compellitur; sicque fit ut... ordo ecclesiasticus non servetur*¹. Illius, enim, factionis quae ei favit servus Pastor est, et spes novi ascensus, metusque ne ea quae iam obtinuerit amittat, hoc ei discrimen augebunt, et conscientiae vocem debebunt; si, enim, illis favit ingratus dicitur; si hoc audit praevaricator appellatur. At, ut hominis est, passim mundana bona spiritualibus bonis facile praefert, quo fit ut nec sibi, nec aliis iustus esse iam possit, sed utrimque iniquus. Aqua turbidis ex fontibus derivata pura est numquam, neque sitim tollit, sed mortiferum venenum praestat. Pastor, itaque, non ambitum quaerat aut factionum studia, sed, si obedientia tantum electus fuerit, liber erit. Secus, enim, quae hodie laetus exultansque serit, in fletu cras colliget. Ambitioso cupiditates semper; numquam pax, libertas numquam!

c) Qui rectus haud est, liber non est. Si cum adulatoribus et subdolis proditoribus Pastor egerit, si ultione magis quam iustitia, aut invidia magis quam charitate utatur, si laudes potius quaerat quam veritatem, si modos regendi subditos adhibeat quaestore magis quam ecclesiastico dignos, si per obscuras tenebrosasque deambulet vias [quae eum non ad gloriam, sed ad perditionem deducunt] brevi et certe, paucorum et potentissimorum hostium servus fiet, cui longe asperiores cras erunt adversarii, quam hodie adiutores pessimi. Quo plane modo, cum ventum conseruerit, procellam plane colliget, et astu usus, calliditate, misere ipse peribit. Pastor itaque Psalmistae illud canendo: *quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*², *rectis corde laetitia*³, ac Domini memor praecepti: *si ambulaveris coram me... in simplicitate cordis et in aequitate... ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum*⁴, recta veluti linea sit. Quod si huius mundi satrapis non placebit nec mundo qui [totus in maligno positus] recte agentes maximo in odio habet, placebit tamen Deo et sufficit. Semper, igitur, et in omnibus recte operetur; neque quae agit abdere se facile posse credat; nam [ut alibi monuimus] *habet hoc magna fortuna quod nihil tectum, nil occultum esse patitur*⁵; *qui in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti mortales noverere*⁶, quo fit ut *non latebra sapientis spes immunitatis, sed innocentia sit*⁷.

¹ S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. II, Epist. 22, ad Antonin. Subdiac.

² Psalm. LXXII, 1.

³ Id. XCVI, 11.

⁴ III Reg. IX, 5.

⁵ Seneca, *De Clement.*, Lib. I. Cap. 8.

⁶ S. Ambrosius, *De Officiis*, Lib. III. cap. 5.

⁷ Sallustius, *in Catilinar.*

d) Qui nepotibus favet, liber non est. — Enimvero qui cognationis studio nimis cedit, fortitudinem facile laesurus praevideatur; nihil, enim, hac corruptione potentius quae ipsa natura oritur; necessarium est, igitur, Pastores hac in re esse cautissimos. — In genere vero *debemus quidem et temporaliter his quibus vicinius iungimur plus coeteris prodesse... Debemus copulam terrenae cognationis agnoscere; sed tamen hanc, cum cursum mentis praepedit, ignorare, quatenus fidelis animus in divino studio accensus, nec ea quae sibi sunt in infimis coniuncta despiciat, et haec apud semetipsum recte ordinans, summorum amorem transcendat. Solerti, ergo, cura providendum est, ne carnis gratia subrepat, atque a recto itinere cordis gressus deflectat. Sic etenim quisque propinquorum debet necessitatibus compati ut tamen per compassionem non sinat vim suae intentionis impediri, ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen a spirituali proposito non avertat*¹ Deo, igitur, primum serviendum, mox ac ordinata ratione, consanguineis, ita tamen ut nihil ab Ecclesia acceptum, ut conscientia Pastoribus vetat, illis tribuatur. Nam *lignum offensionis est aurum sacrificantium; vae illis qui sectantur illud, et omnis imprudens deperit in illo*². Idcirco:

I) Ne consanguineos suos ex Ecclesiae redditibus augere Parochus audeat³, nec res ecclesiasticas, quae Dei sunt⁴, ipsis donet, sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuat⁵.

II) Immo ut omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia exstant, penitus deponat Parochus, quam maxime adhortandus est⁶.

e) Qui aliis indiget servus est. — Paupertatem, enim, virtutem infirmare et Psalmista⁷ monet; quamobrem nisi Pastor sanctus fuerit, timens ea amittere quae possidet, vel ea non recipere quae sperat, aliis qui et dare illi et adimere possunt, mancipabitur. Oportet, igitur, hoc quoque ex capite, paroeciam ita esse bonis instructam quae sint satis ad necessitates eius sustinendas; secus, enim, facillime aliorum in arbitrio Pastor erit. Et de hoc alibi.

f) Qui aes alienum contrahit servus fit, monente Sapia quae *accipit mutuum, servus est foenerantis*⁸, ea servitute ex qua fortitudini exercendae gravissimum validissimumque obstaculum surgit. Ser-

¹ S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. VII, Cap. 30.

² *Eccles.* XXXI, 7.

³ Cfr. c. 23, c. XIII, quest. I [Concil. Autrich.].

⁴ Can. Apost. 39.

⁵ Trid. Sess. XXV, c. I.

⁶ *Ibid.*

⁷ *Psalm.* XXX, 11.

⁸ *Prov.* XXII, 7.

vatis igitur servandis, una necessitas Pastorem ad mutuum contrahendum inducat, et ne fiat omni contendat nisu. — Quando vero omnino necessarium sit, tunc ad perditos homines ne confugiat, sed ad eos potius qui, diuturna experientia noti, iam ut exempla christifideles noscuntur: secus, enim, hodierna laetitia, crastino luctu expiabitur. — Quamvis, enim, ut liber fiat, cito Pastor reddat lauteque rependat, haud tamen pariter a gratitudinis debito solvi cito poterit.

g) Qui dona facilis accipit liber non est, dicente Scriptura: *donum hominis dilatat viam eius, et ante Principem spatium ei faciunt*¹. Homines, enim, honorificis muneribus, manus et pedes Pastorum devinciunt atque observantiae os claudunt, dextera abripietes quae sinistra manu dederunt. Has, itaque, insidias caute Pastores caveant: ac quoties malam hanc mentem fuerint suspicati, humanissime eas depellant. Praepositus, igitur, meminerit illud: *dona excaecant oculos iudicum*², *nec multitudo donorum inclinet te*³; *numquam petentes, raro accipiamus rogati, beatius est, enim, dare quam accipere*⁴. — Sint haec generaliter dicta; nam postquam D. monuerit Gregorius, *munera neque omnia, neque omni tempore, neque ab omnibus accipienda*⁵, addit: *inhumanum esset a nemine accipere, passim vilissimum, omnia avarissimum*⁶.

h) Qui negotiatur liber non est; nam *qui semper lucris inhiat, semper damna formidat*⁷, Tunc Pastores metu perculsi ammittendae mutuatae pecuniae [nam *si foeneraveris quasi perditum habe*⁸], aut amittendi lucri, aut inimicitiae ditiorum obeundae, vel potentum clientelae negligendae, apostolatus munera praetermittunt, atque, dummodo pecunia crescat, ministeria negliguntur, calliditatibus fit locus, et praevicatoribus indulgetur⁹, gregorianum iuxta illud: *qui iumenta plurima possident Iordanem transire refugiunt, et habitationem caelestis patriae non requirunt*¹⁰. At *nihil est iniquius quam amare pecuniam*¹¹; *doctrinam magis quam aurum* [Pastores] *eligite*¹²; *accipite disciplinam... et non pecuniam*¹³. Haec enim [ut diximus, at numquam satis dictum] a latere inspicienda est, quum non in auri, sed in animarum captura Pastor quisque constitutus sit. — Canonica in re praeepta quaedam

¹ *Prov.* XIII, 16.

² *Eccles.* XX, 31.

³ *Iob*, XXXVI, 18.

⁴ S. Hgeron. *Ad Nepotian.*

⁵ *Epistolar.* Lib. II, Indict. X, Epist.

⁶ *Ad Ioan. Episcop.*

⁷ *Ibid.*

⁸ S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. X, Cap. 21.

⁹ *Eccles.* VIII, 15.

¹⁰ Cfr. indic. alphabetic. *Actio Socialis*,

¹¹ S. Gregor Magn. *loc. cit.*

¹² *Eccles.* X, 10.

¹³ *Prov.* IX, 10.

¹⁴ *Ibid.* VII, 10.

recoluimus; coetera in postremo huius tractationis capite¹, opportunus indigitabimus.

I) Negotiatio proprie, quae consistit in habitu emendi res fungibiles, aut etiam non fungibiles, ut carius sub eadem forma [idest prout acquisitae sunt] etsi nomine tantum et pro aliis exercita, sub poena excommunicationis ferendae sententiae, clericis vetita est.²

II) Negotiatio impropria locum obtinet cum res acquiruntur ut, ex industria et labore, in aliam formam transmutentur, et maiori praetii capaces reddantur. Haec negotiatio tunc tantum clericis vetatur cum plus aequo negotiationi dent operam in detrimentum officii sui, et si de abiecta et vili industria quae clericum dedecet agatur. Coeterum, quantum et haec alteri generis negotiatio pastoralis ministerium obnubilet adeo in comperto est, ut quisquis sapit sedulo devitabit: quae leges non prohibent, gravis convenientia vetat. Hac, enim, incumbere absque scandalo vel, saltem, suspitione fidelium vix contingi potest. Igitur, numquam et sub quacumque specie mercator vel negotiator, Pastor bonus sit.

III) Utrum venditio et retentio actionum industrialium et commercialium [azioni, actions, die *Betheilung an Actieen, Handels-und Industriegesellschaft*] liceat, controversatur. Sed videtur licitam esse quatenus agitur de necessaria sortis elocatione, illicitam vero si fiat potissimum quaestus et lucri gratia [*giuoco di borsa, jeu de la bourse*].³

Quarum ordinationum providentiam, omnes qui illud Apostoli considerantes *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ut ei placeat*⁴, ac quantum aes contrectare periculosissimum sit norunt, nunquam satius laudabunt.

i) Qui politicis factionibus consulit servus est, quod utinam omnes intelligerent! Quanta vero ex hac agendi ratione gravissima Ecclesiae detrimenta comparentur, quotidiana ac lacrimabunda experientia docemur! Ut hunc, igitur, fortitudinis charitatisque scopulum Pastores devitent quam maxime suadendi, ne imprudentiam gravissime luan. Quod non voce tantum, sed et scripto sedulo cavendum, ne perniciosissima factionum partibus arma tradantur, quae [ingratitude, vel vindicta duce] saepe nimis, non contra personas tantum, sed et adversus Ecclesiam ipsam callidissime vertere consuescunt. Ad rem:

Cum Parochus, tum Ecclesiae quam civilis societatis bono consulere teneatur, ne in hac re sive per defectum, sive per excessum a recto declinet tramite cavebit quam maxime. Hinc, dum quoad res politicas non potest se habere indifferens,

¹ Cfr. indic. alfab. *Negotiatio*.

² Cfr. *Ne clerici, vel monachi*, X, III, 50; Benedict XIV, *Apostolicae servitutis*, 29 febr. 1741; Clement. XIII, *Cum primum*, 17 sept. 1759; Urban. VIII *Ex debito*, 22 febr. 1663, Pius IV, *Deus*, 3 nov.

1560; Clement. IX, *Sollicitudo* 17 jun 1662; S. C. Inquisit. 4 dec. 1872; Trid. Sess. XXII, c. I *de Reform.*

³ Cfr. Aichner Op. cit. *Pars. Special.* lib. I, par. II. Cap. II.

⁴ *II Thimoth.* II, 4.

attamen tum uti ecclesiasticus, tum uti Parochus magna cum moderatione et discretionem agere debet¹. Quapropter quatuor regulae fundamentales prae oculis habeantur quae sic sonant:

a) Uti minister Christi ac Ecclesiae, heic quoque in omnibus iisdem Parochus innitatur principiis quam ipsa Ecclesia necesse est. Bonus, igitur, Pastor *supra mutabiles imperii formas ac contentiones et partium studia assurgens, religionis incrementa et animarum salutem [quod bonum supremum est, et cui curando ac provehendo studium operamque omnem sedulo conferre debet]* adeo in primis et ante omnia prae oculis habeat, ut rationes omnes humanas ipsis locum cedant. Idcirco:

I) Uti Ecclesiae minister de quaestionibus *mere politicis* si iuxta Ecclesiae mentem dominicum regere gregem intendit, nullam Parochus curam esse potest. Ergo neque in ministerio, neque in iurisdictionis exercitio, rationibus *mere politicis*, vel etiam in minoris momenti rebus, dirigi se debet. Christifidelium omnium cum sit Pater, omnes suo in paterno amplectatur sinu, ne discordiae fomentum quomodo praebeat.

II) Uti Ecclesiae minister in quaestionibus *mixtis*, [haec, nimirum, quae civiles, disputationibus, per accidens, ecclesiasticae fiunt], iura ecclesiasticae explicare, defendere, vindicare ac urgere non solum Parochus potest, sed et debet. At in re Ecclesiam imitetur Sanctam, quae insectando errores et veritatis honestatque principia suadendo, errantes adamat, ac ut ad bonam se recipiant frugem, omnem impendit operam. Non, igitur, acriter vel contumeliose et adversus personas uti tales, certandum, neque ambigua vel illegitima quae ad rem faciunt media numquam adhibenda, et eo minus de filiorum clade tum private, tum publice triumphum agat, monente Scriptura: *In ruina inimici tui ne exsulet cor tuum*³, nam *qui ruina laetatur alterius, non erit impunitus*⁴.

b) Uti Reipublicae cives, iuribus, uti talis sibi competentibus dummodo haec contra ecclesiasticum ac divinum ius non pugnent, ac in muneris vel officii pastoralis detrimentum ne ipsi vertant, Parochus uti potest. Quotiescumque ergo, officia clericalia vel Parochi munera cum iuribus ab eo tamquam civis exercendis, sive pro omnibus casibus, sive in singulis specialiter quid faciendum sit, ratione maioris boni assequendi vel maioris mali devitandi, Ordinarius sit qui iudicet. — At Parochus non modo potest, sed nonnumquam etiam debet iuribus a Gubernio singulis civibus attributis uti: hoc publicum potestatis civilis bonum requirit, hoc [nostris praesertim temporibus] ipsius Ecclesiae salus saepe exigit⁵. Calumniatores, enim, qui clerum consurgare nituntur plurimi ac versutissimi ubique habentur, quos refellere ac nudare oportet, ut propriae infandae malitiae poenam luan. Quod utinam omnes intelligerent!

c) Semper vere et in omnibus, in civilis contentions arenam *conditionis suae* memor Parochus sit, de quo, de eius cum civilibus potestatibus relationibus agentes, alibi diximus.

d) Tandem omnibus in Nationibus peculiare S. Sedis et Episcopi instructiones adeo adamussim ac in omnibus semperque serventur, ut ab his quoquomodo discedere Parochus ne audeat.

¹ Cfr. Santi, *Op. cit.*, lib. III, tit. 4, 2; AICHNER, *Op. cit.*, Pars. special., lib. I, Sect. II, Cap. 2, § 73, 3.

² LEO XIII, *Epist. Secret. Status.* ad Episcop. S. Flori in Gallia. — Cfr.

GREGORIUS XVI, *Sollicitudo*, 7 august. 1831.

³ *Prov.* XXIV, 17.

⁴ Id. XVII, 5.

⁵ Cfr. Santi, *op. et loc. cit.*, n. 4.